

Dissemtationes hoc volumine contentae.

1. Gemcenturia quæstionum illustrium ex iure et liba tamquam
quas præsit Petro Leopoldo. J. V. D. examinandas proposuit
Andr. Petrus Wolffm. Regiomont. Franc. Jenæ.
2. Juris aliquot emendata, quas præsit Heinrico Bocero Jr.
pro Doctoratibus in utroque Jure insigni nitorum sequendis publicis dis
quisitioni subiecit Georgio Wolfgang Hilbornmann, Neuw
Gurg-Palating Tübinger.
3. Positiones Juris præsertim quas publicè discutendas proposuit,
Christophory Treibisig J. V. D. Resp. Conrado Casp. Bovio,
Witteberg. Lipsiæ.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam præsit Christophoro
Bosoldo Jr. discutendam proposuit Burkhardus Ehinger
Tübinger.
5. Diss. de Jure Naturæ præsit Johanne Gyphandro J. V. D.
defensa à Georgio von Broy, Ackenburg. Tuberan. Fr. Jenæ.
6. Diss. de necessaria defensione, præsit Heinrico Bocero Jr. pro
posita à Daniele Rantow. Tübinger.
7. Conclusiones de Jurisdictione, quas eodem præsit Dominico
Wrogg iure insigni sequendopum causa publicè censuræ
subiecit Johannes Georgii Halbitter. libid.
8. Assertiones legales de transactione quas præsit Petro Theo
dorio. J. V. D. pro gradu Doctoratus in utroque Jure sequendo
discutendas proposuit M. Georgii dist. Lips. Jenæ.
9. Diss. de transactionibus, præsit Johanne Harprehto Jr.
pro summo in utroque Jure gradu sequendo publicè examini
submissa à Georgio Langen. Homb. Tübinger.

33.
Disputatio

33

DE OFFICIO JUDICIS

Quam

S. A. N.

*Decreto & Authoritate Nobilissimi ac Amplif-
simi Ictorum Collegij, in inclyta & florentissima Tubingensi
Academia,*

SUB PRÆSIDIO

MAGNI JURISCONSULTI

DN. HENRICI

BOCERI,

Antecessoris ibidem celeberrimi,

Consiliarij Würtembergici, ac supremi
Dicafterij eiusdem Adsefforis experientissimi, p. t. Decani
spectatissimi, Præceptoris sui suspi-
ciendi,

*Pro summis in utroque Iure honoribus & privilegij consequendis
publicæ censura exponit*

Henricus Bacmeisterus, Rostochiensis.

Ad diem 3. Martij, in Aula nova.



TUBINGÆ,

Typis Iohan-Alexandri Cellij,

Ann. M. DC. XV.



Disputatio

DE OFFICIO JUDICIS

Thesis I.



Ravissimum sanè & onerosum judicantis officium, qui non hominum sed Dei judicium exercet, quem semper præsentem & acutum inspectorem habet.

Deut. 1. vers. 17. Psalm. 82. l. 14. Cod. de judicijs. Nov. 90. c. ult. in fin. Nov. 17. § 24. c. 2.

2. Cui omninò perspiciendum, ne quid durius aut remissius constituatur, quam causa deposcit: nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio pro ut quæque res expostulat, statuendum est.

l. 11. ff. de poenis. Ordin. Cam. p. 1. t. 13. §. 1. Es sollen auch.

3. Quicumque enim aut consanguinitate, aut amicitia, & è contrario, vel hostili odio, vel inimicitijs in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est Justitia.

c. 79. causa 11. quest. 3.

4. Et benè ac prudenter ab Imperatore Zenone constitutum, ut omnes judices tam civiles quam militares, eorumque Consiliarij, post administrationem depositam, quinquaginta dies in civitatibus vel provincijs permaneant, locis in publicis & usitatis ante ora & in quotidiano conspectu omnium,

quos rexerunt, & de injuriis factis accusari & rationem gestorum deposci possint.

l. un. C. ut omnes jud. l. 3. C. de adsess. & domest. & Canc. jud.

5. Ut igitur iudices effugiant & temporalem & æternam infamiam, certè cautè officij sui (de quo, cum Deo, acturi hac disputatione) rationem habeant necesse est.

Lev. 19. vers. 15. l. 2. C. de pœn. jud. qui malè jud. c. 82. num. 11. quæst. 3. c. cum æterni. de re jud. in 6.

6. Puto hoc non ita ad amissim definiri, cum potius sit facti quam Juris, sed qualitercunq; circumscribi posse; Quod sit potestas cognoscendi & judicandi secundum modum jurisdictionis vel facultatis concessæ.

l. 32. de usur. l. 12. §. 1. de judicijs. l. 16. de iurisdic. l. 5. & 15. de re judic. l. ult. C. ubi & apud quem cognit. in integ. l. 5. C. de Iudicijs.

7. Quandoquidem vero in tanto negotiorum mundo, iudex officium suum variis modis exercet, etiam ab Interpretibus & glossographis variè divisum reperitur, Bartolus, quem multi secuti, putat esse triplex; Nobile, Mercenarium, & Adversarium.

8. Alij duplex tantum statuunt; Nobile & Mercenarium.

Dd. in l. 1. ff. de iurisd. omnium jud. & Canon. in c. fin. de off. judic.

9. Nobile appellant, quod nonnulli verius & ornatius dicunt Merum, quod iudex sua autoritate exercet, etiam si nulla proponatur actio, & interdū motu proprio, nemine petente.

l. 7. de iurisdic.
10. Mercenarium, quod actioni deservit. Quemadmodum enim is qui operam suam locat, bona fide & libens eam præstat, nec alio modo quàm Dominus præscribit, ita Iudex actionibus in iudicium perductis aut perducendis impertit suum officium, sed non nisi ad formam actionis, eaque cessante, cessat.

11. Sed Romanæ leges nullum nobile, nullum mercenarium officium agnoscunt; sed officium jus dicentis, & officium

cium

De officio Judicis.

3

cium judicis; illudque juri præesse & in jure dicendo aliisque multis exerceri, hoc vero ab actionis natura non recedere, sed id quod actionis est, præsupponere putamus.

l. 1. ff. de jurisd. omnium jud. l. 25. §. 8. de edil. edict. t. tit. Inst. de offic. judic.

12. Potiores judicis partes sunt in examinanda & diligenter ponderanda litigantium causa, & in ferenda sententia eaque exequenda.

13. Quemadmodum enim Architecti seu Geometrae inæqualia spatia seu opera perpendicularo suo ad æqualitatem redigunt, ita judicem oportet id quod durius vel remissius est, exacto judicio, ad æqualitatem perducere.

d. l. 11. de poen.

14. Adsit igitur in examinandis actis deliberatio tantis rebus digna, etiamsi sæpius sit consultandum. Non enim sententia præcipitanda: siquidem præstat maximis de rebus sæpius consultari, quam temere quicquam semel statuere, præsertim ubi de irretractabili, ut inquit Interpretes, vel de præjudicio irrecuperabili agitur: atque ad poenitendum properat, qui citò judicat.

l. 2. C. de sentent. ex peric. recitand. c. Deus. 20. ca. 2. quest. 1.

15. Nec ad veritatem potest perveniri, nisi diligenter examinetur factum, & circumstantiæ facti.

c. occidit. 14. c. 23. quest. ult.

16. Non tamen protrahat lites, sed breviter decidat, nec patiatur dilationem absque ulla gravi causa.

l. 12. C. de Judicijs. Ordin. Cam. p. 1. t. 10. in pr.

17. Quando in causa conclusum, judex universa acta ad referendum dare solet uni vel pluribus; in Camera Imperiali plerumque duobus; referenti & correferenti.

Ord. Camer. p. 1. t. 13. §. Und damit desto dapfferer.

18. Horum suffragia & relationes, quas uno tenore absolvent, diligenter observet, & provideat, ut omnia ritè peragantur,

A 3

gantur,



gantur, aliena & superflua amoveat, celeritati & expeditioni studeat.

Ord. Cam. p. 1. t. 10. Vis. Mem. de Anno 1559. §. 5. Dergleichen sollen.

19. Et consideret, an secundum processum & stilum Curiae, qui pro lege habetur & strictè observandus, omnia peracta. Si enim præposterè processum sit, nulla efficitur sententia.

l. f. C. de Injurys. §. ult. Inst. de satisd. l. 12. §. 5. C. de reb. cred. l. 4. C. de sent. & interloc. omnium jud. Constit. Imp. de An. 1570. §. Derhalben auß räthlichem Bedencken vnd verglichung.

20. Nec ille ordo procedendi pactis litigantium mutari potest.

l. 27. & l. 45. in fin. de Reg. Iur.

21. Consuetudinis etiam rationem habeat; nam contra eam judicans litem suam facit: & tenetur Camera Imperialis pronuntiare, secundum consuetudinem, statuta, & ordinationes Provinciales.

Auth. jubemus. C. de Iudicijs. pr. Inst. de Oblig. ex q. del. & Offic. Iudic. Ordin. Cam. p. 1. t. 13. Ibi. Nach redlichen erbarn vnd Ländischen Ordnungen / Statuten vnd Gewonheiten / der Fürstenthumben / Herrschafften vnd Gerichten.

22. Imò Judex Camerae & Assessores, cum recipiuntur, jurare coguntur, quod velint judicari, secundum Constitutiones Imperij, secundum jus Commune, & laudabiles locorum consuetudines, quod etiam regulariter receptum in omnibus locorum Iudicijs testatur Geil.

1. Obs. 36. n. 14. Ordin. Cam. p. 1. t. 57.

23. Rerum judicatarum quoque auctoritatem non planè negliget, præsertim si præjudicia Camerae & superiorum tribunalium in terminis habeat.

l. 38. ff. de legib. l. 3. C. de adif. privat.

24. Si dubia Iudici videbitur causa, rectè agit, si peritorum Iudiciorum de ea petat consilium.

Argumento c. statutum. §. ad assessorem. de rescriptis in 6.

25. Quam-

De officio Judicis.

25. Quamvis nonnulli dubitent, an jure hoc fieri possit.

Ioh. Bapt. Asin. in judic. praxi. §. 25. c. 1.

26. Videmus tamen in Germania, quòd quælibet ferè regio destinatum habeat locum, ubi peritiores respondent de jure, illis, qui de eo in aliqua causa dubitant, ut rectius de ea pronuntiare possint.

27. In ferenda sententia videat, ne aliter judicet, quàm legibus aut Constitutionibus aut moribus proditum in quacunque actione, & sententiam proferat secundum Justitiam, Deum pro oculis habendo.

t. t. Inst. de off. jud. Auth. Iubemus. C. de Iudicijs. l. 13. C. de sent. & interl. omni. jud. l. 40. ff. de jud. l. 1. §. 3. ad l. Corn. de fals. l. 74. ff. de Iudicijs. ubi Br. & Dd. Lancellot. in templo Iustit. p. 4. Concl. 94.

28. In noxali actione debet ita condemnare: Lucium Titium Publio Mævio in decem aureos condemno, aut noxam dedere.

§. 1. Inst. h. t. & §. 1. Inst. de Noxal. act. l. 6. §. 1. de re jud. l. 1. ff. de his qui effud. vel ejec.

29. Judex in rem actionis contra petito rem judicans absolvere debet possessorem; si contra possessorem, jubere debet, ut rem ipsam restituat cum fructibus, tam industrialibus quam naturalibus, tam consumtis quam extantibus, & perceptis & percipiendis, si prædo fuerit & malæfidei possessor. In bonæfidei possessore distinguo inter fructus industriales & naturales; illos perceptos & nondum consumtos: hos, etiam consumtos, restituet.

§. 35. Inst. de R. D. §. 2. Inst. h. t. l. 45. de usur. l. 40. de acq. rer. dom. l. 4. §. 19. de usucap. l. 22. C. de R. V.

30. Hic non incommodè quærunt Interpretes. An superveniens alienæ rei scientia impedimento sit, quo minus qui bonæfidei possessor fuit, fructus suos faciat? putant nonnulli hac in parte dissensionem fuisse inter Africanum & Julianum. Ictos, quibus non ad stipulamur.

l. bonæ

l. bonafidei 48. de acquir. rer. dom. l. quæsitum. 40. ff. eod. l. & generaliter. 28. de nox. actionib. & l. qui scit. 25. ff. de usur.

31. Maximè quoque controversa quæstio est, quam hic Dd. movere solent, si ut res restituatur petitum sit, nec simul postulatum, ut fructus & accessiones restituantur, an iudex de illis pronuntiare teneatur; quod affirmandum videtur.

l. 22. l. 35. de V. S. l. 31. de reb. cred. c. conquirente. 7. & c. gravis. de restit. spoliator. c. nullus. causa 2. q. 2.

32. Quod si reus de litis æstimatione satsdans, spatium restituendi sine fraudatione postulat, ei permitti potest, ut tamen de litis æstimatione caveat, si intra tempus quod ei datum est, non restituat.

§. 2. Inst. h. t. l. 11. ff. de R. V.

32. In hereditatis petitione idem ferè jus est.

d. §. 2. h. t.

33. Actione ad exhibendum instituta iudicis est, jubere exhiberi, & reum neque jussu iudicis exhibentem, neque se se exhibiturum caventem, in id quod actoris interest damnare.

§. 3. Inst. h. t. l. 12. §. 5. ff. ad exhibend.

34. Porrò in familiæ erciscundæ iudicio singulis heredibus, res singulas adjudicabit iudex quoad potest, & cui meliorem attribuet, eum alteri in certam pecuniæ summam condemnabit.

§. 4. Inst. h. t. §. 20. Inst. de action. l. 55. famil. ercisc.

35. Eadem intervenire si communi dividundo de pluri-
bus rebus actum sit astruit Justinianus.

§. 5. Inst. h. t. d. l. 55. & l. 3. ff. comm. divid.

36. Finium regundorum iudex, quando fines melius distinguendi sunt, adjudicatione utitur, eumque cui partem alieni agri adjudicavit alteri certam in pecuniam condemnet: eo iudicio quoque condemnandus qui circa fines aliquid malitiosè commisit.

§. 6. Inst. h. t. l. 2. & 3. ff. fin. regund. l. 4. §. 3. & 4. ff. eod. Paul. 1. sent. 16. & 5. sent. 22. §. 2.

37. Quic-

37. Quicquid autem tribus istis judiciis alicui fuit adjudicatum, id statim eius fit, cui adjudicatum est. *vide. l. 28. de Except: rei iud: §. f. Inst. h. t.*

38. In bonæfidei judiciis permiffum est judici, ex æquo & bono æstimare, *Quantum*, auctori restituendum.

§. 30. Inst. de actionib. l. 2. §. f. de oblig. & act.

39. In stricti juris actionibus iudex præcisè astrictus est pronuntiare de actione in iudicium deducta, secundum naturam ei à legibus vel jure datam.

d. §. 30. Inst. de action.

40. In arbitrariis vero actionibus permittitur judici ex æquo & bono secundum cujusque rei, de qua actum, naturam æstimare, *Quemadmodum* auctori satisfieri oporteat.

§. 31 Inst. de actionib.

41. In capitalibus semper in mitiorem partem, ut etiam in omnibus aliis rebus, inclinare debet, ac potio-rem æquitas habeat rationem. *Cum satius sit impunitum relinquit facinus nocentis, quam innocentem damnare: Et nulla nimis de morte hominis cunctatio longa.*

l. 8. C. de Iudicijs. l. 5. de Pœnis. l. 90. de R. I.

42. Quapropter Valentinianus (impulsu matris, verentis ne quid præcipitanter ætatis vitio in caput reorum decerneret) edixit, Ne capitales pœnæ ab Imperatore injunctæ nisi post triginta dierum spatium sumerentur.

l. 20. C. de Pœn. Car. Sigon. de Occident. Imper. lib. 8. in vita Gratian. & Valentin.

43. In Feudalibus quoque controversiis officii sui rationem habeat, ne vasallus ob feloniam commissam Feudo privetur, nisi causa cognita, processu judiciario & privationis sententia præcedente.

l. F. 21. & 22. §. ult. 2. F. 57.

44. Deinde in omnibus actionibus curare debet, ut sententiam conformem libello concipiat.

l. 18. ff. comm. divid.

Zando.n.

45. Omnino & quantum possibile ei, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum sit actum.

l. pen. & ult. C. de sentent. quæ sine certa quant. §. 32. Inst. de actionib.

46. In eo quoque officium Judicis est positum, ut habeat rationem expensarum, in quarum præstationem reum condemnare potest, etiamsi ab actore simpliciter & nominatim petitum non sit, præsertim si libellus clausulam habeat, *Peto mihi jus & justitiam administrari omni meliori modo.*

Geil. 1. obs. 61. & 151.

47. In ferenda sententia definitiva necesse est, ut reum vel condemnet vel absolvat, alias pro justa non habetur.

l. 3. C. de sent. & interloc. omnium judic.

48. Tum jura desiderant, ut sententia purè, non sub conditione pronuncietur, & concipiatur idiomate noto, juxta stilum.

l. 1. §. 5. ff. quand. appelland. l. 37. in f. pr. ff. de excusat. tutor. l. 48. ff. de re jud. l. 12. C. de sentent. & interlocut. omnium judic. Visit. Memor. de Anno 64. §. 4. Darbey man die.

49. Et ex scripto est legenda, nisi causa sit levis & vilium personarum, partibus præsentibus, quæ ad eam citandi, in loco publico, foribus apertis, die Juridica non feriata.

t. t. C. de sent. ex pericul. recitand. l. 47. ff. de re judic. Nov. 83. in pr. & Auth. Nisi breves. Cod. d. t. l. 6. Cod. de sentent. & interlocut. omnium jud. t. t. Cod. Quomodo & quand. jud. sent. profer. debeat. part. præsent. vel una absent. c. pastoralis. Clement. de re judicat. c. 1. de causa & poss. propriet. Ordin. Cam. p. 1. t. 28. & p. 3. t. 47. P. H. D. art. 92.

50. Utrum autem sententia in Procuratorem vel Principalem proferenda, quæstionis est? Jure communi in Procuratorem danda.

l. 1. Cod. de sentent. & interloc. omnium jud. l. 23. C. de Procurat. l. 61. ff. eod. c. 1. §. 1. de Procurat. in 6.

51. In summis tamen Tribunalibus in principalem ipsam profertur, ut in Camera

Geil. 1. obs. 111.

52. Inter

De officio Judicis.

9

52. Inter pares numero, si dissonæ sententiæ proferantur, pro reo, etiam in publicis judiciis, obtinere oportet.

l. 38. ff. de re judic.

53. Si diversis summis condemnent judices, minimam spectandam, Julianus ait.

d. l. 38. §. 1.

54. Duo, ex tribus judicibus uno absente, judicare non possunt, quippe omnes judicare jussi sunt: sed si adsit & contra sentiat, statur duorum sententiæ; quid enim minus verum est omnes judicasse?

l. 39. d. r.

55. Sententia judicis nullo juris remedio retractata, post decendum in rem judicatam transit, & pro veritate habetur; proindeque judex eam exequi & ad effectum perducere jubetur, si habeat potestatem.

l. 15. §. 8. de re judic. l. ult. in f. C. de judicijs. l. un. C. qui pro sua jurisd. c. 7. 26. & 27. ext. de offic. & potest. deleg.

56. Alias exequitur Magistratus qui dedit hunc Judicem.

l. 15. in pr. ff. de re jud. l. 3. C. de execut. rei judicat.

57. Et licet postea noviter Instrumenta sint reperta non tamen potest retractari.

l. 4. C. de re judic. l. 35. ff. eod. & t. r. C. sentent. rescind. non poss.

Corollaria.

I.

An gerere officium Judicis in Christiano homine reprehendendum? Neg.

II.

An judices Austregarum & Revisores sint Ordinarii? Affirm.

III.

An judex ordinarius possit recusari? Affirm.

B 2

IV. Sitne

IV.

Si judex judicet contra communem Dd. opinionem, an litem suam faciat? Neg.

V.

Sitne necessum ut causa suspicionis exprimat ac doceatur ab ea parte qui contra judicem suspectum excipit? De jure Civili negamus, secus de jure Canonico & Consuetudine.

VI.

Pœnam ordinariam judicem ex causa minuere posse receptum est.

VII.

An ex officio reum bannire possit iudex, accusator mortuo? Aff.



venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant
ad dnm feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. 13.
Ha rnm nomine an fisco commodum Junis Regalis p. 12.
th. 14.
v. f. m. s. u. n. a. n. y. an i. y. Junm g. r. a. n. e. o. c. e. s. t. r. e. p. o. s. s. i. s. d. i. s. p. 3.
3. coroll. 4.

01 A 6525

ULB Halle


3

002 935 813



12

1007





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

atio 33
JUDICIS


N.
obilissimi ac Amplif-
florentissima Tubingensi

DIO
CONSULTI
HENRICI

ERI,
dem celesber-

bergici, ac supremi
erientissimi, p. t. Decani
toris sui suspi-

& privilegij consequendis
exponit
is, Rostochiensis.
Aula nova.


G A,
Alexandri Cellij,
M. D. X V.